



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 118. Plumbinum a Pontifice captum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

## §. CXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1501.*Plumbinum a Pontifice captum.*

Interea summus Pontifex intentum promovendis rebus suis animum gerebat; *Guicciardinus, lib. 5.* postquam enim Columnensium, ac Sabelliorum ditiones Ursinis, atque Cæsarinis donasset, hacque liberalitate eos sibi devinxisset, veritas, ne Valentini Ducis copiae otii tædio affectæ dilaberentur, illas emisit, ut Plumbinum terrestri obsidione cingerent, cum Pontificiæ trirèmes interim portum illius occluderent. Urbs hæc Italici cujusdam Principatus prærogativa nobilitatur, ac in Senensi statu ad Etruriæ oram sita est, Orbitello & Liburnio interiacens, ac rudertibus veteris Populaniæ tertio abhinc lapide imposita. Hujus civitatis Princeps, Appianus nomine, sese Gallorum fidei committens pollicitus est, se illis quindecim aureorum millia quotannis numeraturum, suosque ad Calvimontem Mediolani Governatorem, & Cardinalis de Ambasia Nepotes ablegavit, ut copiarum suppetias implorarent, ipse quoque eo ex sine in Gallias contendit, ac Marsiliam pervenit; verum Ludovicus Rex Pontificis amicitiam violare veritus, Appianum tueri recusabat, unde eo absente præsidiariis animum despondenti-

Sæcul. XVI. dentibus, interea Plumbinum Urfinis  
 A.C. 1501. reddebatur, vitæ ac bonorum incolumi-  
 tate incolis concessa.

## §. CXIX.

*Principum Italicæ invidia in Alexandrum, ejusque Filium.*

*Guic. ib.*

Cum Pontificis, ac Valentini Ducis ejusdem filii potentia, atque auctoritas partis hisce urbibus plurimum firmaretur, Italiæ Princeps suam illis felicitatem haud parum invidere cæperunt; hanc tamen Galliarum Rex præ ceteris moderatori animo ferebat, sive quod res suas in Italia tam firmo pede insistere arbitraretur, ut sibi a Papa nil timendum esset, sive quod Valentini Ducis ferociam, atque enormem vitæ suæ licentiam tandem degeneraturam crederet in tragicum finem, extremumque exitium, in quod post Pontificis obitum prolapsurus esset. Præterea omnes Italiæ Principes certatim Ludovici amicitiam exoptabant, totaque Pisanorum, Florentinorum, Luccensium, ac Senensium salus a Regis tutela omnino pendebat, illius tamen intererat, ne Valentiniensem Ducem offenderet; Mediolanensium enim Ducatui non solum, quidquid Veneti in eo possiderent, sed etiam Cremonam